Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25968
Copyright: Admont, Benediktinerstift

si offers munus tuum ante altare. Sed ut de singulis his di-
ebus pariter quid loquamur videamus quid sit quod in prima die
sic scriptum est. et factum est vespere et mane dies unus. Dies
unus fit in homine quando a deo voluntatem recedendi
a malis et accedendi ad bona susceperit. que voluntas
quasi unus dies est. Secunda dies est bona operatio cum bona
voluntate. tercius dies est quando in cogitatione in locutio-
ne et opere se custodire cepit actusque suos regere procuraverit.
Huic tercie diei quarta coniungitur. si custodie cogitationum verborum et operum
suorum diligenti cura invigilans perseverantiam in his tenuerit. Dies
quinta fit in homine quando homo non solum quinque exteriores corporis sui sensus
ad dominum converterit. sed etiam quinque interioribus sensibus suis dominum videre audire
gustare odorari et tractare cepit. Dies sexta fit in homine que ad ho-
diernam dominicam respicit cum ad imaginem dei formatur in qua plenam et
perfectam perfectionem recipit. Diem sextam sequitur dies septima cum be-
nedixit deus in qua ab omni opere quod patrarat requievit. per quem septi-
mum diem eterna nobis requies designatur. ubi a laboribus vite presentis
requiescemus et de eterna dei visione gaudebimus et semper in ipso io-
cundabimur. His ita prelibatis textum sancti euangelii ingrediamur.

AMEN dico vobis. nisi abundaverit iustitia vestra plusquam
scribarum et pharyseorum non intrabitis in regnum celorum.

Verba sancti euangelii que hodierna die in sexta dominica legi-
mus verba sunt ardua et sublimia. sumpta de sermone domini.
quem fecit in monte. quem solos perfectos et electos discipulos
domini decuit audire. Nam cum turbas in convalle docuisset et
curasset. illis inferioribus remanentibus nec sequi eum in montem
valentibus. ipse cum discipulis in montem ascendit. ibique sedens
excellentiorem viam spiritalis et celestis vite eis ostendebat. ad
quam cetera turba ascendere non valebat. nec capere eam ido-
nea erat. Huius doctrine sublimitas adhuc spiritalibus viris